# ABSOLVTISSIMVS DE OCTO ORATIONIS PARTIUM CONSTRUCTIONE LIBELLUS,

emendatus per Erasmum Roterodamū.

Item Gerardi Listrij de constructionis octo figuris: Cui adhæret (ne quis desideret) Sulpitius.

VVynandus de VVorde Londini excudebat. Anno. M.D.XXXI.

IOANNES COLETVS DECAnus Sancti Pauli, Guilelmo Lilio, ad diuum Paulum ludi moderatori primario.

Haud aliter mihi uideor affectus in nouam hanc scholam nostram Lili charissime, q̃ in unicum filium pater, in quem non solum gaudet uniuersam suam substantiã transfundere, uerumetiam sua uiscera, si liceat cupit impertiri. Nam ut huic est parum genuisse, nisi eundem diligenti educatione ad bonam frugem prouexerit, ita meo animo non satis est, quod ludum hunc institui, hoc est genui, quodq; insumpto patrimonio uniuerso, uiuus etiam ac superstes solidam hæreditatem cessi, nisi modis omnibus dem operam, ut pijs moribus & bonis literis diligenter educatus ad maturam frugem adolescat. Proinde libellum hunc de constructione octo partiũ orationis ad te mitto, pusillum quidem, sed non pusillum utilitatis allaturum nostræ pubi, si diligenter abs te fuerit traditus. Scis tu præceptis breuitatem placere Flacco, cuius sententiam & ipse uehementer approbo. Porro si qua præterea erunt digna cognitu, tuarum partium erit, ut incident, in prælegendis autoribus annotare. Bene uale, domi nostræ,

M.D.[illegible]XIII

HI.

Obijt Coletus A.D. 1519

ERAS.

# ERASMVS ROTERODAMVS Candidis lectoribus Salutē dicit.





IPsa re comperio uerum esse, quod olim Græcorum prouerbio dictum est. Εὔνοι ἄκαιρος οὐδὲν ἔχθρας διαφέρει. Video passim exoriri, mei nominis, & quā ipse uelim studiosiores, qui libros mihi asserunt, quos aut nō scripsi, aut certe nō ī hoc scripsi ut æderētur. Vetus hic nos studiosorū hominum, ut omnes animi affectus, chartis ceu fidis (ut ait Flaccus) sodalibus committant. Neq; protinus euulgari uelimus, quicquid cū amiculo cōgerrone uel stomachamur, uel nugamur. Aediderūt Epigrammata à me quidem scripta (non inficior) sed non in hoc scripta. Ea (sicuti coniicio) famulus suffuratus, typographis uendidit. Alius quispiam ex pauculis paginis, iisq; deprauatissīe scriptis, uelut ex opere ædito, dictu mirū, quā multa citet & inculcet de ratione non scribendarū epistolarum. Et ut de ceteris minutioribus sileam, nuper hūc περὶ συντάξεως libellum mihi ueluti postliminio uindicarunt, primitus nullius æditū titulo. Quærebat Io. Coletus theologus inter Anglos eximius, nouæ scholæ suæ nouum de constructiōe libellum, qui simul & compēdio pueris commēdaretur & perspicuitate. Eū huius iussu scripserat Guilelmus Lilius uir utriusq; literaturæ haud uulgariter peritus

& mirus recte inſtituendæ pubis artifex. Abſolutū ab illo, mihi tradidit, imo obtruſit emendādū. Quid enim facerem, cum uir ille rogandi finem non faceret: tā amicus ut nefas eſſe ducerem, quicquam negare precāti: tātæ uero autoritatis, ſic de me meritus, ut ſuo iure q̄d uis etiam imperare poſſet Eraſmo. Quoniam autem ſic emendaram, ut pleraq; mutarim: nam id mihi uidebam eſſe facilius: nec Lilius, ut eſt nimia quadam modeſtia præditus, paſſus eſt librum ſuo uulgari nomine: nec ego iudicaui mei cādoris eſſe, uſurpare mihi, ī quo quicquā eſſet alienum. Proinde magnopere ſum interminatus, cuiuſuis titulū aſcriberent, modo ne meum. Itaq; recuſante utroq; libellus ἀνώνυμος prodijt. Coleti duntaxat præfatiuncula cōmendatus. Quem quidem libellum in præſētia nec laudaturus ſum, ne cui uidear arrogātior nec uituperaturus, ne parum candidus habear. Verum hæc præfari uiſū ē, ne poſthac quiſquā ut meū amplectatur, quod ipſe præfatiuncula mihi nō aſſero. Plus ſatis erratorū & ī ijs quæ publicātur a nobis: ut nemo alius ædat, quæ uel non ſcripſimus uel non emendauimus. Bene uale lector amice, Baſileæ tertio calendas Auguſti.

M D XV.

Nominati,



## Nominatiuus ante uerbum.

OMne uerbũ antecedit nominatiuus agentis seu patientis, eiusdem numeri & personæ: ut

Ego doleo. Illi rident.
Tu gaudes. Nos fallimur.

## Appendix prima.

Prima & secũda persona ferme non explicantur, nisi discretionis aut emphasis causa. Discretio, ut

Nos accusauimus. Vos damnastis.

Emphasis, ut

Tu audes ista loqui.

## Appendix secunda.

Aliquoties orationis pars nominatiui uice ponitur, ut

Dolet mihi quod res nõ cesserint tibi ex sententia.

Item uerbum infinitiuum, ut mentiri non est meum.

## Appendix tertia.

### Syllepsis.

Cum plures nominatiui ad idem uerbum referũtur, ad hunc fere modum efferuntur.

Pater & præceptor accersunt te.
Ego & tu sumus in tuto.
Tu & pater estis in periculo.
Ego ceteriq; cognati periclitamur.

## Appendix quarta.

Quæ per se multitudinem significant, aliquando numero discrepant, ut Pars abiere.

## Exceptio prima.

Excipies impſonalia, quæ nullũ ante ſe casum hñt. Tædet, piget, pœnitet, uiuitur, ſtatur.

Item tanq̃ imperſonalia, ut Luceſcit, dieſcit, noƈteſcit, ueſperaſcit, diluxit, pluit, ningit, grandinat.

Quæ exponuntur per uerbum fit & eſt.

Item hæc, fieri poteſt, ut fallar.

Fieri ſolet, fere fit. Male fit. Bene fit.

Nam in bene habet, ſubauditur res.

Exceptio II.

Verba infiniti modi, pro nominatiuo accuſatiuum habẽt, ut gaudeo patrem recte ualere, id eſt, gaudeo ꝙ pater recte ualeat.

Vtrinq; nominatiuus.

Eſt. Videtur. Habetur. Vocatur.

Quædam utrinq; nominandi caſum aſciſcunt, ut

Deus eſt ſummum bonum.

Hic nummus uidetur adulterinus.

Ariſtoteles habetur doctiſſimus.

Perpuſilli uocantur nani.

Et nomina geſtus.

Studes pronus.

Dormis ſupinus.

Incedis rectus.

Infinitum uarians.

Infinitum quoq; utrinq; nominatiuum habet, accedentibus uerbis optandi, ut

Petrus ſtudet uideri diues.

Malim

CVM GENITIVO.

Malim eſſe diues quàm haberi.

At quoties accuſatiuus anteceſſit, & ſequatur neceſſe eſt, ut Malim me diuitem eſſe quàm haberi.

Quædam uarijs modis efferuntur, ut

Non licet Athenis eſſe probos. Et:

Non licet eſſe probis.

Lucanus:

Tutumq; putauit Iam bonus eſſe ſocer.

Non uacat eſſe ægrotum.

Non uacat eſſe ægroto.

Non uacat eſſe ægrotos.

Quanquam poſtremum hoc rarius eſt.



Genitiuus poſt uerbum.

Ordo I.

SVm genitiuũ poſtulat, quoties ſignificat poſſeſſionem, ut hæc ueſtis eſt patris.

Aut ad aliquid pertinere, ut

Regum eſt tueri leges.

Prudentis eſt multa diſſimulare,

Non eſt noſtræ factionis.

Non eſt mearum uirium.

Non eſt huius loci atq; temporis.

APPENDIX.

Item hæc duo impersonalia. Intereſt & refert.

Non tam intereſt regis, quàm totius reipublicæ.

Refert omnium animaduerti in malos.

EXCEPTIO.

Hos tñ abltõs postulant, mea, tua, sua, nostra, uestra.

Minus interest mea quàm tua.

Nostra nihil refert.

Quibus interdum iunguntur & hi genitiui:

Vnius. Ipsius. Solius.

Et genitiui participiorum.

Non tua unius refert, sed nostra omnium.

Tua Ipsius refert.

Tua solius interest.

Mea refert de uita periclitantis.

APPENDIX.

Addũtur & hi genitiui: Tanti, quãti, quanticũq;, tãtidẽ. Nam cætera huiusmodi addũtur per aduerbiũ.

Magni tua refert.

Minus mea refert, quam tua.

Maximopere refert.

Nihil interest.

Plurimum refert.

Aestimandi. Ordo II.

Verba æstimandi genitiuis gaudent, ut

Parui ducitur probitas.

Plurimi fit pecunia.

Tanti eris alijs, quanti tibi fueris.

Maximi penditur nobilitas.

Nihili uel pro nihilo penditur.

Nihili uel pro nihilo habentur literæ.

Nauci, flocci, pili, huius non facio.

*Aßis non facio.* *Teruncij non facio.*

*Singulare eſt illud: Aequi, boni conſulo, id eſt, ĩ bonam accipio partem.*

*Vendendi.* Ordo. III.

*Vændo, reuẽdo, addico, diſtraho, diuẽdo, uenundo, uẽdo, proſto, æſtimo, indico, inſcribo.* Liceor, licitor, licere. Loco, cõduco. Emo, coemo, redimo, mercor, cõmercor. Cõſtat, ualet. *Hæc uerba hos dũtaxat gtõs exigunt.* Tanti, *quanti, tantidem, quantiuis, quantilibet, quanticunq;, pluris, & minoris, ſi nõ addãtur ſubſtantiua. Nam cætera præcij uocabula uel in ablatiuo, uel per aduerbium apponuntur, ut*

Minoris reuendes, quàm emeris.
Pluris conducis, quàm emi poterat.
Quanticunq; locabis, præſtiterat uendidiſſe.
Hodie boues pluris licebant quàm homines.
Miror tantas ædes tam paruo inſcriptas.
Paulo, magno, nimio, minimo, plurimo, uili, duplo, dimidio reuendes.
Aſſe emi, tantidem tibi ſum traditurus.
Teruncio ſeu uitioſa nuce non emerim.
Nihilo conſtat.
Percare locauit equum.
Carius emitur oleum quam uinum.
Carißime conſtat, quod precibus emptum eſt.
Gratis locat ædes, at magno paſcit.

APPENDIX.

*Quin & quibuslibet uerbis, pretij nomen aut aduerbium apponitur ad hanc formam.*

Magno pransi sumus, pluris cœnaturi.

Non minoris docet, quàm talento.

Hic magno etiam tacet.

Nimio, minimo, paulo uiuitur Londini.

Care bibit. Sed carius cacat Bassus.

Nec salutat gratis.

Accusandi. Ordo IIII.

Verba accusandi, damnãdi, absoluendi, & consimilia genitiuum asciscũt, qui crimen significet, ut Accersitus est capitis.

Detulit fratrem læsæ maiestatis.

Postulatus est repetundarum, siue de repetundis.

Accusauit male geste rei, male obitæ legationis.

Egit cum nouerca iniuriarum.

Condemnatus est peculatus.

Reum egit parricidij.

Damnauit incestus.

Hic furti se alligat.

Criminatus est adulterij, cum plagij teneretur.

Arguit te mendacij. Reuicit periurij.

Incusat negligentiæ.

Appellatus est ueneficij.

Imsimulas herum auaritiæ.

Suggillas parsimoniæ.

Notas libidinis seu de libidine.

Infamas

Infamas inscitiæ. Traducis luxuriæ.
Suspectum habes perfidiæ, siue de perfidia.
Taxas ambitionis. Calumniaris maleficij.
Admonuit me errati. Commonuit te promißi.
Commonefecit te debiti.

Singulare est.

Expostulauit mecum de non mißis ad se literis.

APPENDIX.

Si non fuerit proprium criminis nomen, apponitur ablatiuus addita fere præpositione. Vtrum ambitus accusas, an sacrilegij, an utroq;, siue de utroq;? De plurimis simul accusaris.

Miseret. &c. Ordo V.

Miseret, meserescit me tui.
Piget te laboris. Multos uitæ tædet.
Non te uanitatis pudet.
Nostri nosmet pœnitet.

Hæc genitiuũ habent cum accusatiuo, nisi dicamus.

Puditum est consilij.
Misertum est uirginis.
Pertæsum est coniugij.

APPENDIX.

Sed impersonalibus loco gti, põt addi uerbũ infinitũ.

Tædet me uitæ. Tædet me uiuere.
Piget militiæ. Piget militare.

Variantia quædam. Ordo. VI.

Hæc uariam habent constructionem.

Misereor tui uel tibi.

Meminit tui uel de te, id est, mentionem fecit.

Memini pro recordor, plerūq; actō iungitur.

Obliuiscor, recordor, reminiscor, recolo tui, (uel te

Venit ī mētē eius diei, id est, recordor.

Vel, uenit in mentem ille dies.

Potitus est rerum, id est, uicit.

Et potitus est amica, id est, assecutus est.

Eget tui uel te. Indiget auxilij uel auxilio.

Significantia aliqd fieri in loco. Ordo. VII.

Omne uerbū admittit gtūm proprij noīs, significātem locum in quo fit actio: Vixit Romæ. Studuit Oxoniæ. Natus est Lōdini. Pro proprijs usurpātur hæc appellatiua: Humi, domi, militiæ, belli. Iacet humi.

Domi belliq; simul uiximus.

Domi meæ, nostræ, tuæ, suæ, uestræ, alienæ.

Nec alia admittit adiectiua: nā domi paternæ, non recte dicitur, sed ī domo paterna. Ruri in datiuo, siue rure in abltō uerbis ijsdem adiūgitur: Ruri educatus est.

Exceptio.

Si tamē fuerit pluralis dūtaxat numeri, aut tertiæ declinationis, in ablatiuo ponūtur, ut Nupsit Athenis, Militauit Carthagine. Infrequens est his addere præpositionem. Cū essem in Mediolano: quæ semper additur nominibus locorū maiorum & appellatiuis: Cum essem in Italia. Cum agerem in suburbano.

Datiuus post uerbum. Ordo. I.

Quod.

Quoduis uerbum acquisitiue positum, exigit, datiuum, ut non omnibus dormio.

Huic habeo non tibi.

Mihi istic nec seritur nec metitur.

Mihi peccat si quid peccat.

Omnibus sapit, sibi uni non sapit.

Acquisitiua. Ordo II.

Præcipue tamē huius ordinis sunt, quæ commodū aut incommodum significant, ut do mutuo seu mutuum Do cōmodato. Mutuo. Fœnero, Largior, cōfero tibi, & cōfero ī te. Præstare pro dare & pro exhibere, ut Præstare fidem, præstare pacta. Dono tibi hoc munus, & dono te hoc munere. Impartiā tibi fortunas meas, & impartiā te fortunis meis. Aspersit tibi labē, & aspersit te labe. Instrauit equo penulā, & īstrauit equū penula. Debet tibi uitam. Suā eruditionē tibi acceptam fert. Satisfacio, soluo. Resoluo, rescribo, renumero, numero ꝑ soluo. Remetior, pēdo, repēdo, refero, repono pro reddo. Respōdeo pro satisfacio. Nunquā tuis meritis est respōsurus. Cōmodo pro prosum. Incōmodo pro noceo. Nō potest mihi nec cōmodare nec incommodare. Opitulor, prosum auxilior, suppedito ꝑ subministro, suggero. Succurro, subuenio, adminiculor, patrocinor, suffragor, adsū, faueo, bn̄ uolo, bn̄ cupio. Medeor tibi, & medebor tuo dolori. Medicor te, uel tibi Cōducit, confert tibi, id est utile est. Conducit huic rei siue conducit ad hanc rem. Consulo tibi, do consilium,

Consule

Cõsule rebus tuis, id est, prospice. Cõsulis me, id est, cõsiliũ a me petis. Sibi canit. Metuo, timeo, formido tibi, id est, sum solicitus pro te. Metuo te, id ẽ, timeo ne mihi noceas. Cõiũgitur uterq; casus: Omnia tibi timeo quæ solent pusillis accidere.

Imperandi & nunciandi. Ordo. III.

Ad hæc, quæ imperãdi & nunciandi significationẽ hñt. Iubeo te abire. Iubeo tibi ut abeas. Impero, præcipio, præeo. Vt Iudicibus præire conatur, præscribere leges uictis. Dicta mihi iusiurandũ. Edico tibi miles, ĩpero, mãdo, cõmitto. Delegauit mihi suam uicem. Indixit mihi bellum. Designa, constitue, præstituæ, cõdicito præfige mihi diẽ ac locũ. Tẽpero tibi & te, id est, rego Moderatur animo iræ, & moderatur principem.

Nunciandi.

Dico tibi, scribo tibi, & ad te. Loquor, rẽcẽseo, narro, expono, explano, explico, aperio, ĩdico, demõstro, commonstro. Refero, id est, narro. Retulit ad senatũ, id est, proposuit in senatu.

Obsequij & repugnãtiæ. Ordo IIII.

Quæ ad obsequium siue repugnantiam pertinent. Morigeror, morẽ gero, obsequor, obsecũdo, obseruio. Seruire tẽpori. Inseruit suis cõmodis. Subseruio, suparasitor, ancillor, assentor, adulor, palpor, obedio, milito, pareo. Ausculto tibi, id ẽ, obedio. Ausculto te, id ẽ, audio. Audiẽs dicto. Obtẽpo, cedo, cõcedo. Cõsentio tibi, siue tecum. Assentio siue assentior tibi. Dissentio

tibi siue abs te. Subscribo tuo iudicio. Suffragor, astipulor, accedo tibi siue tue sentētiæ, idē, approbo. Hoc accessit meis malis, siue ad mea mala, id est, additum ē. Accedit huc, accedit his, & accedit ad hæc. Conuenit mihi tecum. Constat hoc nobis, siue inter nos.

Repugnantiæ.

Refragor, obsto, obsisto, obstrepo, resisto, repugno, reluctor, reclamo, officio, occurro. Obuiam eo, obuiam factus est mihi. Aduersor. Dissideo tibi siue tecum. Cōtēdo tibi siue tecum. Hoc abs te contendo, id est, uehemēter peto. Certat illi siue cum illo. Noli pugnare duobus, græce magis quam latine dixit Catullus, pro cum duobus.

Relatiua. Ordo. V.

Verba quæ relationem & respectum habent ad aliquid. Quæ huic est coniūx, tibi nurus est. Platoni corpus est uox, id est, iuxta Platonis sententiam. Aristoteli spongiæ sentiunt.

Relatiua per compositionem.

Huiusmodi ferme sunt composita cum his præpositionibus. præ. ad. con. sub. ante. post. ob. in. & inter.

Præ.

Ego meis præluxi maioribus. Præpollet omnibus. Prænitet. Præminet. Præstat omnibus siue omnes. Præcellit omnibus uel omnes. Præbibit mihi. Præripuit illi. Præeo ꝑ uinco, præcedo, præcurro, præuertor, præuenio accusatiuum exigunt.

Ad.

*Admolitus est illi manũ. Admoueo. Accubuit, asse dit mihi. Adiacet Aegypto. Aduolutus est genibus. Affulsit mihi spes. Arrisit matri. Acclamabāt dicenti. Appressit pectori codicem. Adegit gladium pectori. Affigo, adhæreo, adhærescit, adlubescit.*

Con.

*Cõuixit nobis. Commigrauit huic uicinæ. Cõmori tibi cupio, siue tecum. Colludo tibi, uel tecum.*

Sub.

*Subiacent fortunæ, succedo, subijcio, subest. Subolet patri.*

Ante.

*Antestat, antepono, antefero te omnibus. Antecedit: anteuertit, antecellit omnibus, uel omnes. Anteeo te, non tibi.*

Post.

*Posthabeo, postpono famam pecuniæ.*

Ob.

*Obgannit nobis., occinit, obturbat. Õppono, obijcio, oppedo, obmurmuro.*

In.

*Indormi. saxis. Inuigilas chartis. Immoraris, immoreris, insudas studijs. Insides saxo. Illudo tibi. Insulto. Inniteris arundini. Nitor quoq; simplex. Nititur suis uiribus. Imminet capiti. Impendet omnibus periculum. Inceßit mihi cupiditas, Inest illi, uel in illo.*

*Incidit*

## CVM DATIVO.

Incidit mihi lis cum nebulone.

Inter.

Intermiſcet uera falſis, Interſerit, interijcit. Interfuit conuiuio, interuenit colloquio.

Contingentiæ.

Contigit mihi, accidit, euenit, uſu uenit, obtigit, ceſſit, ſucceſſit, obuenit, uertit, cecidit.

Confidendi.

Fido, confido, credo. Fidem habeo. Fidem facio. Fidem do. Polliceor, ſpondeo, nubo. Itē hæc, liquet, uacat, placet, diſplicet, dolet, licet, ſuccenſeo, indignor, minor.

Datiui aduerbiales. Appendix.

Adduntur & ij datiui aduerbiales. Tēpori ſurgēdū. Veſperi uenit. Luci occidit hominem.

Verbis aliquoties datiuus feſtiuitatis, id eſt, iucūditatis gratia adiungitur. Suo ſibi hūc iugulo gladio.

Gemini datiui.

Eſt pro habeo. Eſt tibi mater. Non eſt tibi quod agas. Et intercedit mihi cum illo familiaritas.

Nonnunquam geminos habet datiuos.

Non ſit tibi curæ. Item hæc.

An id ſibi ſtudio habet? Hoc tu tibi laudi ducis?
Speras tibi laudi fore, quod mihi uitio uertis?
Dedit mihi ueſtem pignori, dono mutuo.
Dedit mihi pecuniam fœnori.

Accuſatiuus poſt uerbū. Ordo. I.

Verba trāſitiua cuiuſcunq; generis, exigunt accuſa-

cusatiuum significantem id quod patitur. ut
Saluto patrem. Numeras arenam.
Bibis uinum. Loqueris mendacium.
Osculatur uxorem.
Tædet, piget, pudet, pœnitet, miseret me tui.
Decet te. non decet senem.
Dedecet uirginem impudentia.
Antiqui dicebant, & decet tibi.

Duo accusatiui.

Sunt quæ geminum admittunt accusatiuum.
Docuit me literas. Docebo te istos mores.
Poposcit me mutuum.
Rogat, orat, flagitat, exorat te ueniam.
Postulo, oro, posco, flagito, peto abs te hanc rem, frequentius quàm te, sine præpositione.
Exuo, induo, uestio, calceo, cingo, posteriorem, hoc est, accusatiuum rei, sæpius mutant in ablatiuum.
Exuit se chlamydem siue chlamyde.
Accinxit se gladio.

Accusatiuus rei & personæ.

Quædam utrumuis admitunt, rei seu personæ.
Vicit te: & uicit litem.
Excusat se: & excusat ualetudinem.
Accusat se: & accusat tuam negligentiam.

Motus ad locum. Ordo II.

Quæ significant motum ad locum aliquem, accusatiuum postulant nominis proprij, citra præpositionem.

Eo Ro-

## CHM ACCVSATIVO.

Eo Romam. Rediјt Athenas.

Nauigauit Carthaginem.

Item hæc, Confero me domum. Recipio me rus.

Nam appellatiuis, siue maiorum locorum uocabulis fere præpositio additur. Profectus est i Hispania. Reuersus est in prouinciam. Abiјt in forum.

Spatium temporis.

Ordo III.

Quibuslibet uerbis apponitur accusatiuus, significans spatium temporis.

Potauit totam noctem. Hic totum desedi diem.

Viginti annos natus est. Iam seculum te operimur.

APPENDIX.

Quanquam hic aliquoties in ablatiuum uertitur.

Commoratus est apud nos, tribus horis, seu tres horas

APPENDIX.

At quoties non spatium, sed species temporis significatur, ablatiuus tantum apponitur.

Nocte uigilas. Luce dormis.

Aestate domi desides. Hyeme nauigas.

Superioribus diebus ad te scripsi.

Anno proximo te uisam.

Significatur autem Species, cum interrogatio sit p quando, ut Quando uenies? Hora tertia.

Spatium uero, cum sit interrogatio per quadiu, ut Quandiu uigilasti? Duas horas.

Spatium loci. Ordo IIII.

Quibusdam & loci spatium, eodem modo apponitur
Iam mille passus processerant.
Patet in longum quingenta stadia.
Latum culmum.
Latum unguem.
Latum digitum, pedem hinc ne discesseris.
Abest ab urbe sesquimiliarium.

Quanquam hic quoque nonnunquam uertitur in ablatiuum.
Abest à continenti quingentis passuum milibus.

Reciprocus accusatiuus.

Ordo V.

Quodlibet uerbum quantumuis intransitiuum admittit accusatiuum nominis significantis eundem actum, ut Quam hic uitam uiuitis? Endymionis somnum dormis
Huius generis sunt illa: Longum nauigauit iter.
Hunc scio mea solide solum gauisurum gaudia.

Accusatiuus per figuram.

Item illa, Resipit, sapit adustionem. Olet lucernam, hircum. Olet unguenta. Spirat Italiam. Vox non sonat hominem. Vineta crepat mera. Viuunt Bacchanalia. Viuit Cynicum.

Et quæ ponuntur aduerbiorum loco.

Furit indomitu. Dulce sonat. Toruum tuetur, id est, indomite, dulciter, torue.

Ablatiuus post uerbum.

Ordo I.

QVoduis uerbũ admittit ablatiuũ significantẽ qualecũq; instrumentũ, aut modum actionis.

Exemplum instrumenti.

Petijt me saxo. Cecidit loris. Enecas odio. Refellis argumentis. Vincit sapiētia. Cōciliauit humanitate multos. Concordia, res paruæ crescũt: discordia, maxime dilabuntur, id est, per discordiam.

Exemplum modi.

Mira celeritate rem peregit.

Summa eloquentia causam egit.

Hic tamen aliquoties apponitur præpositio, cum.

Summa cum humanitate tractauit hominem.

Nam instrumentis apponitur, non enim recte dicitur. Scribit cum calamo.

APPENDIX.

His finitima sunt quæ ad synecdochem pertinent.

Aegrotat animo magis quam corpore. Discruciatur animo. Candet dentibus. Rubet capillis, id est, secundum animum, corpus, capillos. Poete dicunt per accusatiuum. Languet animum. Rubet faciem. Canet capillos.

Comparatiua. Ordo II.

Quæ uim obtinent comparationis, admittunt ablatiuum signicantem mensuram.

Multo præstat cauere quàm admittere.

Multis, infinitis partibus te uincit.

Duplo superat. Nimio antecellit, antecedit.

Motus à loco. Ordo III.

Quæ significant motum à loco, siue per locū, eadē nomina admittunt in ablatiuo, quæ in genitiuo apponebantur, cum significabatur quies in loco.

Discesſit Londino. Rure reuersus est.

Louanio sum facturus iter.

Apponitur semper præpositio, per, appellatiuis & regionum nominibus. Per Italiam eundum est Græciā petenti. Per forum ibis. Adduntur & hi ablatiui aduerbiales. Hac eundum est, illac, istac.

Qua pro aliqua parte, seu uia, ut: Si qua licebit effugere, Et relatiue. Qua spectat Aegyptum.

Ablatiuus absolutus. Ordo IIII.

Quibuslibet uerbis additur abltūs absolute sūptus

Me dormiente tu bibis.

Hoc me uiuo non facies.

Hæc fiunt te rege, te consule, te pontifice.

Te impulsore feci.

Lilio præceptore tantus hic euasit.

Implendi, onerandi. Ordo V.

Verba implendi, onerandi, & his diuersa.

Satio, saturo, expleo te fabulis.

Ingurgitauit se cibo.

Obruit se uino.

Oneras stomachum cibo.

Leuabo te hoc onere.

Exonerabo te nummis.

Nudauit, exuit. ſpoliauit me bonis omnibus.

Emunxit ſenes argento.

Proſequor, & afficio. Ordo VI.

Item proſequor, & afficio.

Afficit me iniuria, damno, honore.

Proſequor te odio, amore, beneuolentia. Pluit lapidibus, lacte, ſanguine: ſiue lapides, lac, ſanguinem.

Mereor bene ſeu male. Ordo VII.

Bene mereor & male, peius, melius, optime, peßime, interueniente præpoſitione, aſciſcunt auferendi caſum.

Optime de literis meritus es.

De me nihil es meritus, neq; bene neq; male.

Paßiua. Ordo VIII.

Paßiuis additur ablatiuus, agentis ſed antecedente præpoſitione à uel ab. Rideris ab omnibus.

Additur aliquando datiuus abſq; præpoſitione.

Amaris omnibus, uel ab omnibus.

Accuſatiuus patientis uertitur in nominatiuum.

Pater caſtigauit filium. Filius caſtigatur à patre.

Cæteri caſus fere omnes manent in paſſiuis, qui fuerunt actiuorum.

Doceris à me grammaticam.

Accuſaberis furti.

Haberis ludibrio.

Priuaberis magiſtratu.

Quæ per ſe paßiua uocantur, conſtruuntur quemadmodũ & illa: Venijt à dño. Vapulabis a præceptore

*Quid fiet ab illo?*

*Veſcor & cætera.* Ordo IX.

*Veſcor carnibus.*

*Hic uictitat lacte.*

*Vtor homine familiariter.*

*Inuenitur & utor hanc rem, & abutor operam.*

*Fruor tuo conſpectu.*

*Et tuo fretus auxilio.*

*De potior dictum eſt.*

*Fungitur magiſtratu.* *Defunctus eſt uita.*

APPENDIX I.

*Præpoſitio ſubaudita facit ut abltūs recte addatur.*

*Habeo te loco parentis.*

*Eſt mihi uice filij, id eſt, in loco, in uice.*

*Apparuit illi humana facie.*

*Diſceßit magiſtratu.*

*Infinita.* *Appendix.* II.

*Quibuſdam familiariter adduntur uerba infinita.*

*Solet, debet, cœpit, optat, gaudet laudari.*

*Amat uideri diues,* *Studet metui.*

*Nam figurate ponuntur, ut à nullo pendeant.*

*Hæccine fieri flagitia.* *Et uenari pro uenabatur.*

*Diuerſi caſus eidem additi uerbo.*

APPENDIX III.

*NIhil uetat quo minus eodem uerbo diuerſi caſus apponantur diuerſæ rationis.*

*Dedit mihi ueſtem hanc pignori, te præſente, propria*

*manu*

manu. Nam uestem, additur tanquam transitiuo: mihi tanquam acquisitiuo: pignori, ex eorum est forma, quæ resoluuntur per ad, uel in, præpositionem, id est, ī pignus: te præsente, ablatiuus est absolutus: manu, instrumentalis.

## GERVNDIA.

Gerundia omnia eosdem ferme casus admittunt post se, quos habent uerba à quibus deducūtur.

Ad discendum literas. Ad seruiendum tibi.

Ad fruendum amico.

### In Di.

Gerundia in di, ante se habent hæc nomina: Gratia, causa, prætextu, occasione, titulo, otium, facultas, licentia, ars, aut simile nomen substantiuum.

Veni huc causa uisendi te.

Non erit copia conueniendi hominem.

Ars dicendi.

Nonnunquam Præcedit adiectiuum.

Cupidus uisendi te. Gnarus bellandi.

Certus eundi. Imperitus nauigandi.

Peritus medicandi.

### In Dum.

Gerūdijs in dū præponitur præpositio ad, uel inter.

Ad colloquendum tecū.

Inter cœnandum hoc mihi uenit in mentem.

Reperitur & ante damnandum.

Cū significamus necessitatē, sine præpositione usurpan.

pantur, addito substantiuo uerbo.
Vigilandum est ei qui cupiat uincere.

In Do.

Gerundia in do pendent à præpositione in uel ab, siue dictione quæ requirit ablatiuum, ut
In consultando, locus est eloquentiæ.
In pugnando, uiribus est opus.
Reuersus à uenando, siue à uenatu.
Tacendo refellis, id est, tacens refellis.
Scribendo disces scribere.
Romanus sedendo uincit.

Gerundiua nomina.

Vertuntur gerundia in nomina adiectiua, ut
Causa uisendi te, & causa uisendi tui.
Ad discendum literas, & ad discendas literas.
Legendo libros doctus euades, &
Legendis libris doctus euades.

Supina in tum.

Prima supina sequuntur uerbum, significans motũ ad locum, ut, abijt piscatum, id est, ad piscandum.
Admittunt post se eosdem casus quos uerba ipsorum.

Absolute posita.

Ponuntur & absolute cum uerbo est, ut

| | |
|---|---|
| Pugnatum est. | Actum est. |
| Dormitum est. | Cessatum est satis. |

Supina in tu.

Supina ĩ tu, paßiue significationis ferme sũt, & ad

hærent nominibus adiectiuis, ut turpe dictu. Mirabile uisu. Difficile creditu. Procliue factu, id est, ad faciendum. Nam in his, Surgit cubitu, redit uenatu, nomina potius censenda sunt, quàm posteriora supina.

## De participijs.

PArticipia sequuntur constructionem uerborum à quibus deriuantur.

Donaturus tibi uestem.

Donaturus te ueste.

Cousulens tibi. Fruiturus te.

Diligendus ab omnibus. Quanquam in his usitatior ē datiuus: Diligendus omnibus.

### Participia facta nomina.

Cum transeunt in naturam nominum, genitiuum postulant, ut Amans uini. Fugitans litium. Cupiēs tui. Sitiens auri. Peritus belli.

Et sine casu, Vt uir potens, eloquens.

Tunc & comparationem accipiunt, more nominum in ens uel in tus desinentium.

Cupientior famæ quàm auri.

Cupientißimus tui.

Nulli desideratior quàm mihi.

Desideratißimus patriæ.

### Participia facta nomina compositione.

Quæ compositione fiunt nomina genitiuum asciscunt.

Indoctus pilæ. Inexpertus belli.

Quæquã & horum simplicia simili modo usurpãtur.

De nominibus uerbalibus. Ordo. I.

OMnia fere uerbalia genitiuum admittunt, qui uerbis erit accusatiuus, ut Colo agrum.

Cultor, cultrix agri. Cultus agri, cultura agri.

Bibo uinum. Bibax uini.

Cupio laudem. Cupidus laudis.

Item quæ sunt affinia his, ut

Auarus laudis. Ignarus omnium.

Studiosus tui. Securus amorum.

In bilis. Ordo II.

Verbalia in bilis accepta paßiue, datiuo gaudẽt, ut participia in dus. Flebilis, formidabilis omnibus, id est, flendus, formidandus omnibus.

Genitiuus additus nomini substantiuo.

Ordo I.

NOmina substantiua, quæ significant possessorẽ, mensuram, siue numerum, aut relationem ad aliquid, genitiuum exigunt, ut

Arma achillis. Cyathus uini.

Duo milia peditum. Modius tritici.

Par calciamentorum. Vncia auri.

Iugum aquilarum. Vlna panni.

Tres decades quæstionũ. Vxor Petri.

Mille nummum. Amicus patris.

Comes Vlyßis. Princeps patriæ.

Vertitur hic genitiuus aliquoties in datiuum, antecedente

cedēte uerbo est. Hic est tibi pater, huic socer, illi cōsul.

Attributiua. Ordo II.

Cū significatur aliquid inesse siue adesse cuipiam, quod ad laudē seu uituperiū ptinet trifariā efferimus,

Puer bonæ indolis. Vir maximi nasi.
Puer bona indole. Vir maximo naso.
Puer bonus indole, & indolem, poetice. Vir maximus naso, & nasum, poetice.

Species & genus. Ordo III.

Species subijcitur generi in genitiuo, siue in eodem casu per appositionem.

Nomen Catonis in te non quadrat.
Crimen læsæ maiestatis.
Cum essemus in terra Italiæ, siue Italia.
In urbe Romæ, siue Roma.

Substantiue posita. Ordo IIII.

Quædā adiectiua substātiue posita, gtūm admittūt, ut

Multum lucri, Paulum pecuniæ.
Quid habes negotij?
Quātū habebis pecuniæ, tantūdē habebis fidei.
Plurimum uini. Minimum aquæ.

Item pronomina quædam.

Hoc negotij. Id operis. Quid aliud mali?

Appositio.

In summa: quoties substātiuū, quacunq; rōne rfertur ad alterū substātiuum, additur in genitiuo, nisi addatur appositiue. Nam tum satis est, si concordet in casu, etiam

su, etiam si numero & genere dissideat.
Abstulisti Maronem meas delicias.

De adiectiuis & substantiuis.

Adiectiua nomina, participia, pronomina, concordãt cum suis substantiuis, ĩ numero, genere, & casu, ut
Ex malis moribus, bonæ leges natæ sunt.
Istam fortunam tui mores promeruerunt.

Adiunctio.

Cum plura substantiua, diuersi etiam numeri ac generis, ad unũ adiectiuum referuntur, his ferme modis efferri solẽt. Gloria non est expetenda, neq; diuitiæ. ut in medio ponas, ad quod referuntur partes. Nõ ẽ expetenda gloria neq; diuitiæ, ut præponatur. Gloria & diuitiæ nõ sunt expetẽdæ, ut postpositum conueniat cũ proximo. Gloria, diuitiæ, genus, non sunt expetẽda, ut subaudias ista, idq; neutro genere.

Relatiua.

Relatiuum Qui, conuenit cum antecedente in numero & genere. Placuerũt literæ quas ad me dedisti. Nisi figurate loquamur. Quas ad me dedisti literas, magnopere placuerunt.

Comparatiua. Ordo V.

Comparatiua & superlatiua genitiuũ exigũt, ut
Sum minor fratrum, de duobus.
Sum minimus fratrum, de pluribus.
Et tum exponuntur per, inter.
Inter fratres, uel ex fratribus.

Nam comparatiua cum exponuntur per quàm, ablatiuum aſciſcunt, Præſtantior te. Eloquentior omnibus præterquam Cicerone, id eſt, quàm Cicero.

Additur alter ablatiuus ſignificās modū exceſſus. Eſt maior te quatuor annis.

Digito lato te procerior. Multo potior.

Multo & longe apponuntur & ſuperlatiuis. Multo omnium doctiſsimus.

Longe peſsimus omnium.

Diſtributiua & partitiua.

Ordo VI.

Item nomina partitiua, aut partitiue poſita, uelut quiſq;, quiſquis, quicunq;, quidam, quis interrogatiuū, & quis ꝑ aliquis. Aliquis, uterq;, neuter, uteruis, utercunq;, nemo, nullus, ſolus, unus, medius.

Quiſq; huius nationis.

Vnumquodq; animantium.

Prouocat unumquemlibet ueſtrum.

Vtrum horum mauis accipe.

Exponuntur per inter uel ex.

Vnus omnium, id eſt, ſolus omnium.

Melius duorum, id eſt, inter duos.

Et, Dimidium animæ.

Item alter, alius, & his æquipollentia pronomina. Hic & ille, & aduerbium partim.

APPENDIX I.

Quanquam in his genitiuus ſignificās totum, in alium

casum sæpe uertitur.
Quis hominum uidit? Et,
Quis homo uidit?
Neuter Catonum. Et,
Neuter Cato.

Animantium uel animātia, alia sunt uolatilia, alia reptilia. Appendix. II.

Ad hanc formam pertinent, quotus, quotusquisque ordinem significantia numeralia.
Quotus eras conuiuarum, seu conuiua?
Quintus regum Romanorum, id est, inter reges.
Sapientum octauus.

Quanquam in hoc postremo, non tam ordinem significat quàm numerum simpliciter, ut in illo:
Dic quotus esse uelis.

Datiuus post nomen.

Commodi aut incommodi. Ordo I.

ADiectiua, quæ commodum aut incommodum significant, aut relationē ad aliquid, datiuū exigunt, ut Rem mihi permolestam, mihi iucundam, tibi perniciosam, mihi salutarem.

Relatiua.

Aptus, accommodus, idoneus, utilis, ĩutilis bello, siue ad bellū. Natus gloriæ & ad gloriā. Obnoxius illi. Amicus huic, & huius. Similis, dissimilis huic, & huius. Diuersus huic, uel ab hoc. Affinis cognatus huic, uel huius. Nā cū huiusmodi substātiue capiūtur, geni-

tiuo

tiuo magis gaudent.

Accusatiuus post nomen.

Spatij mensura. Ordo I.

Quæ certum magnitudinis modum significant, accusatiuum admittunt. Longus, latus, altus, crassus.

Turris alta trecentos pedes.

Liber crassus tres digitos, siue trium digitorum crassitudine, & ducentorum pedum altitudine.

Circuitionis uis.

Ordo II.

Quædam per circumlocutionem accusatiuum admittũt, ut: Nõ sum id nescius, id est, non ignoro. Cuius generis sunt & illa: Eius rei mihi uenit in mentem, id est recordatus sum. Et, Id mihi anus indicium fecit, id est indicauit. Et: Opus est mihi hac re.

Ablatiuus post nomen.

Dignus, & indignus ablatiuum asciscunt. Dignus honore, dignum est illo.

Dicimus tamen, dignus ut honoretur.

Dignus quem omnes honorent. Et:

Dignus honorari ab omnibus. Item uacuus, onustus. Vacuus curis. Onustus diuitijs. Pauper, diues, plenus, inanis, etiam genitiuum admittunt.

Pronominum constructio.

Genitiui primitiuorũ.

Mei, tui, sui, nostri, uestri, genitiui primitiuorũ, ponuntur, cum paßio significatur.

Nam cum actio, adduntur possesſiua, meus, tuus, suus, noster, & uester.
Languet desiderio tui, nempe quo tu desideraris.
Pauet desiderio tuo, quo tu desideras.
Item pars tua quæ tibi debetur.
Pars tui, id est, manus, aut pes, corpus, animus.
Imago tua, quam tu poßides.
Imago tui, quæ te repræsentat
Aliquoties utrunq; coniungitur, ut
Nostra tui memoria, id est, quam nos de te debemus.

Posseßiua pronomina.

Posseßiua adiectiua sunt, & non recusant aliquãdo genitiuum.
Mea ipsius causa.
Tua solius, unius.
Meos flentis oculos.

Nostrum, & uestrum.

Nostrum & uestrum genitiui plurales, gaudent nominibus distributiuis, aut partitiuis, ut
Nemo uestrum.
Vnusquisq; nostrum, id est, ex nobis.
Item comparatiuis, & superlatiuis, ut
Maior uestrum
Maximus natu nostrum.

Reciproca.

Sui, sibi, suus, a, um, nõ nisi reciproce ponuntur: hoc est, ut reflectantur ad id, quod proceßit in eadem ora

tionis

tionis parte, aut annexa per copulam.
Ille sibi placet.
Petrus odit suos
Orat ut suo faueas filio.

Demonstratiua.

Demonstratiua cum substantiue ponuntur, admittunt genitiuum ut dictum est.
Hoc noctis.
Idem temporis.
Illud accessit mali.

Idem cum datiuo.

Idem datiuum sibi admittit, uel ablatiuum interueniente præpositione. Idem facit occidenti, id est, quod occidens. Idem huic, aut idem cum hoc.

De constructione aduerbiorum.

Nominatiuus post aduerbium.

EN & ecce demonstrantis, nominatiuo seu accusatiuo iunguntur.
En quatuor aras.
Ecce rem.
En lupus est in fabula.
En exprobrantis, accusatiuo gaudet.
En animum & mentem.

Genitiuus post aduerbium. Ordo I.

SVperlatiua genitiuum exigūt. Pessime omnium dixit, qui omnium optime fecit.

Aduerbia loci, & temporis.

Ordo II.

Adduntur aduerbijs loci ac temporis genitiui ferme hi. Vbi gentium?

Eo impudentiæ uentum est.

Quo terrarum.

Nusquam gentium.

Huccine rerum uenimus?

Vbiuis quouis terrarum.

Eo loci redacta est.

Tunc temporis.

Nam minime gentiũ, monodicon est, genitiuo festiuitatis causa addito.

Pridie, postridie.

Ordo III.

Pride calendarum siue calendas.

Postridie eius diei.

Postridie quàm uenires.

Postridie quàm discesseras.

Instar. Ordo IIII.

Instar montis, instar pecudis.

Item, parum, multum, satis, abunde uini: uice nominum poni uidentur.

Datiuus post aduerbium.

QVædam datiuum admittunt nominum, unde deducta sunt. Venit obuiam illi. Nam obuius illi dicitur. Canit similiter huic. Nam similis huic. Et

sibi inutiliter. Sedet proxime illi. Propiquius tibi sedet quàm mihi.

Accusatiuus post aduerbium.

SVnt quæ accusandi casum admittunt præpositionis, unde sunt profecta.

Propius urbem, & proxime castra.

Ablatiuus post aduerbium.

Ordo I.

QVæ comparantur, constructionem habent cõparatiuorum nominum.

Accessi propius te, id est, quàm tu.

Melius te dicit, id est, quàm tu.

Plus quingentis colaphis, & plus millies.

Procul & cætera. Ordo II.

Procul dubio, & procul ab urbe.

Clàm patre.

Palàm omnibus.

Coràm omnibus.

Hic, illic, istic, & cætera.

Ordo I.

HIc illic, istic, intus, alibi, ubi, ubiq;, ubicunq;, ubilibet, ubiuis, alicubi, necubi, sicubi, ibi, inibi, ibidẽ referuntur ad quietem in loco.

Huc, illuc. & cætera. Ordo II.

Huc, illuc, istuc, intro, alio, aliquo, nequo, siquo, eo, eodem, quolibet, quouis, quocunq;, foras, horsum, aliorsum, dextrorsum, sinistrorsum, sursũ, deorsum, utroq;,

neutro, quoquouersum, referũtur ad motionẽ ad locũ.

Hinc, illinc, istinc, & cætera.

Ordo III.

Hinc, illinc, istinc, aliunde, alicunde, sicunde, necunde, indidem, unde, undelibet, undeuis, undecunq;, utrinq;, referuntur ad motum è loco.

Hac, illac. & cætera. Ordo IIII.

Hac, illac, istac, alia. aliqua, qua, siqua, nequa, referuntur ad motionem per locum.

Variantia.

Hæc uariant. Foris cœnat, & foris uenit. Peregre uenit, peregre rediijt, peregre abijt. Nusquam apparet. Nusquam discedet.

Quibus modis uerborum, quæ congruãt aduerbia.

Vbi, Postquàm.

VBi, postquàm, cum, aduerbia tẽporis, interdum indicatiuis, interdum subiunctiuis uerbis apponuntur, ut: Cum aderit, & cum uenerit.

Simul. &c.

Simul, simulac, simulatq;, magis gaudent subiunctiuis. Simulatq; adolcuerit ætas.

Vt, pro postquàm, indicatiuo gaudet adiungi.

Vt uentum est in urbem.

Quemadmodum, &c.

Quemadmodum, ut, utcunq;, sicut, utrunq; modum admittũt. Vt salutabis, ita resalutaberis. Vt sementem fe-

ceris

ceris, ita & metes.

Quasi, & cætera.

Quasi, ceu, tanquam, perinde, acsi, haud secus, cum proprium habent uerbum, subiunctiue gaudet apponi. Tanquam feceris ipse aliquid. Quasi non norimus inter nos. Alias copulant consimiles casus. Noui hominem tanquam te. Arridet mihi quasi amico.

Ne, non.

Ne prohibetis, uel imperatiuis, uel subiunctiuis additur. Ne nega. Ne dixeris. Non, uerbis imperatiuis nō recte apponitur.

Ne, an, num.

Ne, cum est interrogantis: indicatiuum amat. Supest ne & uescitur aura? Similiter & an, & num. At eadem cum accipiūtur dubitatiue, siue indiffinite, subiunctiuum postulant. Vise num redierit. Nihil refert feceris ne an persuaseris.

Pene, & alia similia.

Pene, prope, propemodum, tantum non, modo non, unico uerbo, seu alia dictione contenta sunt.
Propemodum insaniebat. Tantum non insaniebat. Modo non montes auri pollicebatur.

Aduerbium non relatum ad uerbum.

ADuerbium aliquoties refertur non ad uerbum, sed ad aliam orationis partem.
Homo egregie impudens. Ne parum sis leno. Admodum puella. Admodum anus.

Aliquoties aduerbium adhæret aduerbio.

Non admodum pulchre. Parum laute.

Quanquam & his similia.

QVanquam, tametsi, etsi, etiamsi, frequẽtius adiunguntur indicatiuis.

Quamuis, & licet, subiunctiuis.

Etiamsi cum utrisq; cohæret.

Vt, pro quamuis, semper subiunctiuum flagitat.

Serui ut taceant, iumenta loquentur.

Aliquoties ad aliam orationis partem referuntur, non ad uerbum. Complectitur hominem, quamuis male uolentem, etiam si peßime de se meritum.

Nisi cum similibus.

Ni, nisi, si, siquidem, quòd, quia, & indicatiuis, & subiunctiuis adhærent.

Nisi facies. Nisi feceris. Quòd bene uales gaudeo. Quòd redieris incolumis gaudeo. Non quia sic merui, Non quia sit pauper, sed, quòd sit improbus.

Quando, & cætera.

Quando, & quandoquidem, quatenus indicatiuũ exigũt. Et frequenter sequuntur causam, cum reliqua huius ordinis frequentius præcedant.

Quoniam mihi non credis, ipse periculum facito. Ipse facito periculum, quando mihi non credis.

Quippe, quippe qui, ut qui.

Quippe etiam cum proprium habet uerbum. Danda est huic uenia, quippe ægrotat.

Si addi-

Si addideris qui, utrunq; admittit modum.
Vt qui, plerunq; subiunctiuis adhæret.
Non est huic habenda fides, quippe qui bis iam peiera- uerit, siue peierarit.
Vt qui peierarit.

Qui.

Qui cum habet uim casualem, semper adhæret subiunctiuo.
Stultus es qui huic credas, id est, quod uel quia credis.

Vt, utpote.

Vt, & utpote, proprium uerbum nunquam habet.
Odi Petrum ut in omnes maledicum.
Vtpote in omnes maledicum.

Tum tum, Cum tum.

Tum tum, Cum tum, similes modos copulant in uerbis: in declinabilibus similes casus.
Odit tum literas, tum uirtutem.
Amplector cum eruditos oēs, tū in primis Marcellū.

Præpositionum constructio.

Præpositio uersa in aduerbium.

PRæpositiones quæ citra casum ullum usurpantur in aduerbiorum naturam transeūt. Extra meite. an mare quod, supra memoriam, quodq; aliud infra, Prope abest?

Quemadmodum rursus & aduerbia quædam accedente casu in præpositionem transeunt, ut: Procul, Coràm, Clàm, Palàm.

Casus

Casus præpositionum.

QVædam accusatiuum exigunt, ut: Intra parietes. Extra uallum.

Quædam ablatiuum, ut: ab urbe.

Quædam utrunq;, sed non in eodem sēsu.

Varij casus præpositionum earundem.

In.

In, cum significatur actus in loco, desiderat ablatiuum

In, animo est. In foro uersatur.

In pro erga, accusandi casum habet.

Optimo in te animo.

Item in, pro contra. In omnes maledicus.

In, pro ad. In hoc incūbite. In hoc natus sum. In mercatum abijt.

Sub.

Sub nocte, id est, in nocte.

Sub noctem, id est, instante nocte. Sub ea, id ē, post ea.

Item sub, additum uerbo motus ad locum, accusatiuum exigit. Sub umbram properemus.

Sub, cum uerbo quietis, ablatiuum requirit.

Sub lodice. Sub umbra.

Super.

Super numerum ingeniorum, id est, præter hæc oīa.

Super hæc omnia, id est, ultra numerum.

Super Priamo, id est, de Priamo.

Super arbore sidunt, id est, in arbore.

Tenus.

Tenus gaudet ablatiuo singulari, & genitiuo plurali.

Pube tenus, crurum tenus. Sed hæc uidentur ue luti composita, quemadmodum & illa: Hactenus, eatenus, quatenus.

Versus.

Postponitur & uersus suo casui. Romā uersus est iter

Vsque.

Vsque, raro sine altera præpositione reperitur, & significat temporis, aut loci magnitudinem.

Ad multam usque noctem, Ab extrema usque india.

Vsurpatur & aduerbialiter ꝓ semper, siue cōtinēter.

A, Ab, Abs.

A præponitur dictionibus incipientibus à consonante.

A foro. A castris.

Ab, incipientibus à uocali. Ab omnibus. Nisi sint liquidæ aut i consonans, Ab Ioue. Ab Rege.

Abs, incipientibus à t. Abs te.

Præpositiones semper compositæ.

SVnt quæ non inueniantur extra compositionem. Di, dis, re, se, an, con. Diduco, dißipo, refero. seiūgo, ambigo, conuenio.

Con præpositio.

Con, de quibusdam neutris facit transitiua. Comminxit lectum. Consputi hominem, concacauit, cōpluit, conuomuit maritum.

De, re.

Deijcio, id est, ex alto iacio. Deamo, id est, ualde amo. Desipit, id est, sapere desijt. Deferbuit ætas.

Recla-

Reclamat, id est, contra clamat.
Repetit, id est, denuo petit.
Retegit, id est, quod tectum est aperit.

De constructione interiectionum.

O Exclamantis admittit uocatiuum, nominatiuū, & accusatiuum. O dij immortales, ô uir fortis, ô insignem impudentiam.

Subauditur autem frequenter . Vt singularem impudentiam.

Heu, proh, & cætera.

Heu pietas. Heu stirpem inuisam. Proh Iuppiter. Et, Proh deûm atq; hominum fidem.
Hei mihi.
Væ tibi.
Ah tibi.

Cedo flagitantis exhiberi, accusatiuum habet. Cedo manum, cedo senem.

Amàbo & obsecro, &c.

Amàbo, & obsecro, blandientis: Sodes, & sultis, hortātis uerba sunt, & in interiectionis naturā uersa, quemadmodum & agè.

FINIS.

# GERARDUS LISTRIUS DE OCTO FIGURIS CONSTRUCTIONIS.



FIGURA, *ut Quintilianus ait libro nono, est cōformatio quædā orationis, remota à cōmuni, & primū se offerēte ratione.* In *scholijs Græcorū figura sic definitur.* Figura *est pmutatio quædam orationis, aut secundum sententiam, aut dictionem à uulgari & primū se offerente ratione dicendi, in elegantiorem sine tropo. Verum cum hæ diffinitiones obscuriores sint, quàm à tyrunculis intelligi poßint, satis mihi in præsentiarum erit pingui (quod aiunt) Minerua, figuras constructionum, ex optimis quibusq; grammaticis colligere, idq; breuißime.* Harum *octo sunt.* Appositio, *euocatio,* σύλληψις, *id ē, cōceptio* πρόληψις, *zeugma, synthesis, antiptosis, & synecdoche.*

## De Appositione.

APpositio *est duorum substantiuorum, eiusdē casus, quorum alterum declarat alterum, immediata coniunctio, ut flumen Rhenus.*

*Dico duorum substantiuorum, quia mere adiectiuorum immediata cōiunctio non est latina, ut doctus, bonus. quatuor, centum, quinq; mille.*

*Potest etiam appositio trium substantiuorum esse,*

*ut, M.*

ut. M. Tullius Cicero. Et quanquam substãtiua ĩ appositione fere sunt eiusdẽ casus, à magnis tamẽ autoribus in diuersis interim casibus ponũtur, perĩde quasi ad diuersa pertinerẽt, ut Vrbs Patauij, apud Vergilium. & Vrbs Antiochiæ, apud Ciceronẽ. Debent etiam eiusdẽ esse numeri substãtiua: nã non dicimus: Flumina Rhenus. Id tamẽ perpetuo non seruatur. Nam quoties alterũ substantiuorũ caret numero singulari, aut ẽ nomen collectiuum, diuersorum numerorum esse possunt, ut Vrbs Athenæ. Ouidius

In me turba ruunt luxuriosa proci. Vergilius.

Ignarum fucos pecus à præsepibus arcent.

Dico quorum alterum declarat alterum: nam in appositione sequens substantiuum, fere præcedens declarat, ut fratres gemini. Nã autore Quintiliano, si gemini dicam, fratres addere est superuacuum, quod tamen classici autores interim fecerũt, dicẽtes gemini fratres, & Roma urbs, & Rhenus flumen.

Tribus modis fit appositio.

Restringendæ generalitatis gratia, ut, Vrbs Roma. Animal equus.

Tollendæ æquiuocationis causa, ut Taurus mons Asiæ, Lupus piscis.

Ad proprietatem attribuendam,
Erasmus uir exactißimo iudicio.
Nireus adolescens insigni forma.
Timothæus homo incredibili fortuna.

De euocatione.

CVm prima uel secũda persona, immediate ad se euocat tertiam, ambæ fiunt primæ uel secundæ personæ, quare uerbum quod eis adiũgitur, erit primæ uel secundæ personæ, ut.

Ego pauper laboro.

Tu diues ludis.

Est ergo euocatio, ĩmediata tertiæ personæ ad primam uel secundam reductio.

In euocatione quatuor sunt.

Persona euocans, quæ semper est prima uel secunda.

Euocata, quæ semper est tertia.

Verbum, quod est primæ uel secundæ personæ.

Et absentia coniunctionis.

Nam personæ in euocatione ad idem pertinent, & coniunctio non nisi diuersa coniungit.

In euocatione, persona euocãs, & euocata interim sunt diuersorum numerorum, utpote, cum euocata caret numero singulari, ut: Ego tuæ deliciæ istuc ueniã. Aut, cum est nomen collectiuum. Plinius Auunculus in præfatione. Magna pars studiorum amœnitates quærimus: ubi est euocatio implicita, nam subauditur nos. Aut, cum est nomen distributiuum. Ouidius. In magnis læsi rebus uterq; sumus: nos uterq; sumus, euocatio est.

Duplex est euocatio.

Explicita, & implicita.

Explici-

Explicita, ubi tam persona euocans, quàm euocata exprimitur.

Implicita, ubi euocãs subĩtelligitur, ut Listrius scribo.

Quanquam Priscianus contendat in hac oratione Ego Apollinus scribo, esse soloecum, cui ego nõ assentior, cum Vergilius dicat.

Corâm quem quæritis adsum, Troius Aeneas.

Et Ouidius.

Penelope coniunx semper Vlyßis ero.

De conceptione.

ANtequam ad conceptionem uenio, duas regulas præmitto. Quarum prior est.

Copulatũ per cõiũctionem &, atq;, q;, nec, neq;.

Item per præpositionem, cum, pro &, captam, est pluralis numeri. Quare uerbum aut adiectiuũ, aut relatiuum, quod eis apponitur, plurale erit, ut

Ego & Cicero ualemus.

Ego atq; Terentia ualemus.

Neq; ego neq; tu fecimus.

Nec Præceptor nec discipulus sapiunt.

Ego cum uxore ueniemus.

Rhemo cum fratre Quirimus, iura dabunt.

In ijs, & atq; &c, copulant dictiones, nam quãdo orationẽ copulãt, faciunt zeugma, ut ego & tu fecisti.

Neq; ego neq; tu fecisti.

Porro cum magis uerbum amat singulare, ut

Tu quid ego & populus mecum desiderat, audi.

Altera regula est.

Copulatum pluralis numeri, est illius generis, aut psonæ, cuius est pars dignior.

Dignior autem est persona prima quàm secūda, & dignior secunda quàm tertia.

Dignius masculinum genus quā fœmininū, & dignius fœmininum quàm neutrum.

Quare cū copulatū est ex prima persona & secūda, aut tertia, totum fit primæ personæ, ut, ego & Terentia ualemus.

Et cū est ex masculino genere, & fœminino, aut neutro totum fit masculini generis, ut, Rex & regina beati. Dominus & mancipia pugnaces.

Et cum est ex fœminino & neutro, totum fit fœminini generis, ut hinc leges & plebiscita coactæ.

Conceptio personarum & generum.

Syllepsis quæ conceptio interpraetatur est cōpræhēsio indignioris sub digniori. Id quod fit dupliciter.

Aut enim concipitur persona cū persona, sic est cōceptio personarum, ut: Ego & tu uiuimus. Hic, Ego, sic secū capit, tu, ut totū copulatū sit primæ personæ.

Aut genus indignius cū genere digniori, sic est cōceptio generum, ut: Rex & regina pij.

Conceptionem grammatici dicunt duplicem, directam, & indirectam.

Directam, ubi concipiens, id est, dignius, & conceptū, id est, indignius copulātur per &, uel atq;, uel q;,

Indirectam, ubi copulātur per cum, copulatiue sumptum, ut: Ego cum matre sumus candidi, ubi utraq; cō ceptio est indirecta.

Dicunt etiam esse quandam conceptionem generū implicitam, ut quando nec genus concipiens, nec genus conceptum explicantur: sed de mare atq; fœmina perinde loquimur, ac de solo mare, ut si dicam, Vterq; est formosus, loquens de sponso & sponsa.

Sic Ouidius.

Impliciti laqueis nudus uterq; iacet,

Loquēs de Marte & Venere, reti īplicitis à Vulcano

Porro quando substantiua in conceptione generū, significant res inanimatas, tūc adiectiuum quod eis adiungitur: aut conuenit cum digniori, ut apud Lucanū, Leges & plebiscita coactæ.

Aut, quod est usitatius, ipsum ponitur in neutro genere. Salustius, Ira & ægritudo permista sunt, subintelligitur enim hæc. Idem, Huic bella ciuilia, cædes, & discordia ciuilis grata fuerunt. In sacris literis. Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

Conceptio casuum.

Est etiam quædam syllepsis, id est, conceptio casuum, quoties supposita sunt diuersorum casuum; quod fit quando copulantur per cum, copulatiue captum, ut Ego cum populo desideramus.

Conceptio numerorum.

Sic conceptio numerorum est, ubi pluralis numerus concipit singularem, ut

Sunt nobis mitia poma.
Castaneæ molles, & præßi copia lactis.

Enumerat etiam Aldus plures species syllepsios, uerum nos hæc rudibus sufficere arbitramur.

## De Prolepsi.

QVum cōgregatio, siue totum, cū uerbo uel adiectiuo congrue construitur, deinde partes cōgregationis, ad idem uerbum uel adiectiuum reducuntur, cum quo tamen fere non concordant, πρόληψις, id est præsumptio est, ut duæ Aquilæ uolauerunt, hæc ab oriente, illa ab occidente. Hic congregatio, duæ aquilæ, cum uerbo uolauerunt, in omnibus concordat, cum quo partes, hæc & illa, ad idem relatæ, in numero non concordant. Congregatio siue totum, est dictio pluralis numeri, aut nomen collectiuum, ut duæ aquilæ. Corydon & Thyrsis. Nam copulatum æquiualet plurali, ut

Compuleran tq; greges Corydon & Thyrsis in unum,
Thyrsis oues, Corydon distentas lacte capellas.
Populus uiuit, alij in inopia, alij in delicijs.

Sulpitius & Aldus quinq; dicunt in prolepsi eē necessaria, congregationem, partes, uerbum, quod Sulpi-

tius proprietaten uocat, determinationem & ordinē, ut Aquilæ uolauerūt, una ab oriente, altera ab occidē te, quod ex græco Homeri sumptū est: ἀετοὶ δ' ἐπτήσαντο δύω, ὁ μὲν ἀπ' ἀπαρκταλῶν ὁ δὲ ἀπὸ δυσμῶν. Hic aquilæ est congregatio, ut, Aldus dicit, aut ut Sulpitius totū, uolauerunt, uerbum aut proprietas est: una & altera partes, ab oriente, & occidente partium determinationes: ordo, quod congregatio siue totum præcedat: partes sequantur.

Prolepsis est, ut Aldus ait, duplex.

Explicita & implicita.

Explicita in qua omnia inueniūtur quæ in prolepsi esse oportet, ut equi concurrunt: hic à dextra, ille à sinistra hippodromi.

Implicita, in qua aliquid tacetur, ut homines inuident, alter alteri, Hic deest altera partium, cum tetere minatione, uidelicet & alter alteri.

Et portate alter alterius onera. Hic deest totum uos, & altera ps cū determinatione, uidelicet alterius

Terentius.

Curemus æquam uterq; partem.

Hic totum, nos, subintelligitur, & partes alter & alter, includuntur in distributiuo uterq;.

Aldus cum Prisciano prolepsim dixit esse cū ante numerus redditur, quàm personæ diffiniuntur, ut Duorum Aiacum, hic est Telamonius, hic Salaminius. Hic anteponitur nūerus pluralis, siue dualis, ἄιαρτιον

quàm

quàm personæ Telamonius, & Salaminius positæ sint. Apud quem ubiq; est prolepsis, ubi totũ aliquomo do si ue in recto, siue in obliquo præsumitur, ut humani generis, alij boni, alij praui. Quantitatis, aliud continuũ aliud discretum. Verum in his congregatio, siue totũ, quippe obliquus, non ante concordat cum uerbo, quare secundum Sulpitij diffinitionem & nostram, in his prolepsis non erit, secundum ueram tamen etymologiã & hic & in omnibus similibus est prolepsis.

Nec multũ curãdum est, quid grammatici triuiales dicant, cum etiam Diomedes prolepsim dicat eẽ quoties id, quod posterius gestum est, ante describitur, ut: Lauinia uenit littora. Lauinium enim nõdum erat cũ Aeneas ueniret in Italiam. Sit ergo prolepsis, ubicunq; totum aliquo modo præsumitur, à πρό, quod est ante, et λήβω sumo, dictum.

## De Zeugmate.

Zeugma est unius uerbi uel adiectiui, uiciniori respõdentis, ad diuersa reductio, ad unum quidem expresse, ad alterũ per supplementum, ut cœli mouendi sunt & terra. Hic sunt, reducitur ad diuersa supposita, uidelicet. Cœli mouendi & terra, & cum mouendi conuenit in numero, utpote propinquiore: & cũ terra disconuenit quippe remotiore: & ad cœli reducitur expresse, ac terra per supplementũ, subintelligitur enĩ terra supple mouenda est.

Vergilius

Hic illius arma, hic currus fuit.

Ego & uxor mea est docta, sēsus, ego supple sum doctus, & uxor est docta.

Dixi uiciniori respondentis. Nam nisi sit comparatio, uerbum uel adiectiuum, semper debet cum propinquiore cōuenire, ut: Ego & uxor est docta: hic, est, cōuenit cum uxor, quia illi est propinquius. Doctus sum & uxor. Hic doctus & sum conueniunt cum ego.

Quādo est comparatio uel similitudo: uerbum uel adiectiuū conuenit cum remotiore, ut: Ego sicut tu sētio. Ego sicut fœnum arui. Ego melius quàm tu scribo.

Item per nisi: Talem filium nulla, nisi tu pareret.

Tribus modis fit zeugma.

In persona. Ego & tu uiuis.

In genere. Rex & regina est irata.

In numero, ut: Nihil te hic munitißimus habendi senatus locus, nihil horum ora uultusq; mouerunt.

In zeugmate quinq; oportet esse. Diuersa substantiua, ut: Rex & regina. Coniunctionem, ut, &. Verbū uel adiectiuum, ut irata est: & quòd uerbum uiciniori respondeat, ut: Rex & regina est irata.

Coniunctio in zeugmate, tam potest eße copulatiua disiūctiua, quàm expletiua. Fit etiam per aduerbia, ut: Cubas ubi ego. Cœnas quando nos.

Triplex est zeugma.

προζεύγμα, id est, zeugma à superiori, quando ponitur uel uerbum, uel adiectiuum in principio, ut: Dormio ego & tu.

μεσόζευγμα, id est zeugma à medio, quoties uerbũ ponitur in medio, ut: Ego dormio & tu.

ὑπόζευγμα, uel ὑστερόζευγμα, ubi uerbum ponitur in fine, ut: Ego & tu dormis.

Quãdo uerbũ ad duo supposita reducitur, & cũ utroq; conuenit, est zeugma, ut dicunt, locutionis: non constructionis, ut: Ioannes fuit piscator, ut Petrus. Nihil horum ora, nihil uultus mouerunt.

Dicitur ζεῦγμα quasi copulatum, à ζευγνύω, uel ζευγνύω, quod est copulo.

## De Synthesi.

SYnthesis est, cum oratio congrua est sensu, non uoce, ut: Pars in frusta secant. Gens armati.

Fit Synthesis in genere tantum, idq; aut sexus discernendi causa, ut

Anser foeta. Elephantus grauida.

Aut supplemẽti causa, ut prænestre sub ipsa, s. urbe Centauro in magna, supple naui.

Fit in numero tantum, ut: Turba ruunt

Vtraq; formosæ Paridi potuere uideri.

Aperite aliquis ostium.

Fit in genere & numero simul.

Vergilius. Pars mersi tenuere ratem.

Idem. Hic manus ob patriam pugnãdo uulnera passi.

Synthesis Græce dicitur à σὺν, id est con. & θέσις positió, quia est compositio, id est, cõstructio facta gratia significationis.

## De Antiptosi.

Antiptosis est positio casus pro casu, ut: Sermonem quem audistis nõ est meus, id est, sermo nõ est meus. Populo ut placerent quas fecisset fabulas, fabulas pro fabulæ.

Vrbem quam statuo uestra est, pro Vrbs.

Eius non uenit in mentem, pro id. Aristotelis libri sunt omne genus elegantiæ referti. pro omnis generis. Sic id genus, pro eius generis. Commigrauit huic uiciniæ, pro in hanc uiciniam: quanquam Donatus illic, huic uiciniæ, dicat positũ esse aduerbialiter: id ne estis autores mihi, pro eius.

Dicitur antiptosis ab ἀντὶ, id est pro, & πτῶσις, casus. Scribitur autem πτῶσις, cum ω magno, quare producitur sicut & μονόπτωτον & δίπτωτον.

Omnia enim ferme uerbalia in osus, scribuntur per ω μέγα, ut ὁμοίωσις, id est, similitudo, ἑτερῶσις, id est, alteratio, ταπείνωσις, id est humiliatio.

## De Synecdoche.

Synecdoche est, cũ id quod partis est, attribuitur toti. Aethiops albus dẽtes. Hic albũ quod solis dẽtibus conuenit, toti attribuitur Aethiopi.

Per synecdochen omnia nomina adiectiua, aliquã proprie-

proprietatem ſignificantia, item omnia uerba paßiua, & neutralia, ſignificantia aliquam paßionem, poſſunt regere accuſatiuum, & interim ablatiuum, ſignificantē locum in quo fit paßio, ut:

Aeger pedes, uel pedibus.
Saucius frontem, uel fronte.
Vulneror pedes.
Doleo caput, uel capite.
Redimitus tempora lauro.
Syllius.
Truncatus membra bipenni.

Duplex eſt Synecdoche: Locutionis, & conſtructionis.

Synecdoche locutionis eſt, quādo pars pro toto ſumitur, ut octo animæ fuerunt in arca Noe, id ē, homines. Bibo Rhenum. Video Suollam: ſi ſolum turrim uideam. Et Synecdochen conſtructionis, quando adiectiuum aut uerbum, toti attributum, ob partem cui conuenit, regit partem in accuſatiuo, & aliquando in ablatiuo, ut latus humeros, & humeris. Hæc poetis eſt frequentior quàm oratoribus.

Dicitur συνεκδοχὴ à σὺν, id eſt, con, & ἐκδέχομαι ſuſcipio, quôd uidelicet totum, cū parte ſua capiatur.

FINIS.

    

# DE FIGVRIS

## CONSTRVCTIONIS IOAN-NES SVLPITIVS VERVLA-NVS.



IGVRA est uitium ratione excusatum, & ascribitur elegantiæ. Figurarum aliæ sunt locutionis, aliæ dictionis, aliæ constructionis.

Figuræ cõstructiõis (nã alias prætcribo) sunt octo: Euocatio, appositio, conceptio, siue syllepsis: plepsis, zeugma, synthesis, antiptosis, synecdoche. Reliquas autẽ in poetarum expositione doceberis.

### De Euocatione.

EVocatio, est continuata reductio tertiæ personæ ad primam uel secundam, ut Ego Quintilianus declamo. Tu Cicero oras.

In euocatione quatuor requiruntur: Persona euocans, persona euocata, remotio copulæ, & uerbum concordans cum persona euocante.

### De Appositione.

APpositio est continuta coniunctio duorum substantiuorum, quorum alterum declarat alterũ, ut. Mirabatur molem Aeneas magalia quondam. Et, Proximus ille Procas Troianæ gloria gentis.

Requi-

Requiruntur autem in appositione duo substãtiua in eodem casu, & quod magis cõmune fere semp præcedat. Nam licet dicere, Hector uir fortis, & equus animal ferox.

Fit autem appositio tribus ex causis.

Primo, causa restringendæ generalitatis, ut, animal canis latrat.

Secundo, causa remouendæ æquiuocationis, ut: Leo signum ardet.

Tertio, causa attribuendæ proprietatis, ut Vergilius uir summus.

De Conceptione.

Conceptio seu syllepsis, est adductio indignioris, ad dignius.

Fit autem tribus modis, genere, numero, & psona

Genere, ut, masculinũ concipiat fœmininum & neutrum, & fœmininum concipiat neutrum, ut
Vlysses & Penelope sunt laudati. Et,
Vestis & aurum sunt pretiosæ.

Numero, si pluralis numerus concipiat singularẽ, ut: Discipuli & præceptor legunt.

Persona, ut prima concipiat secũdam & tertiam, & secunda concipiat tertiam, ut: Ego & tu legimus. Tu & ille scribitis.

Poterit etiam fieri conceptio per hanc præpositionem cum, positam loco copulatiuæ coniunctionis. Nam idẽ est dicere, discipuli & præceptor legunt, qđ discipuli

cum præceptore legunt. Tu mecum currimus, id est, tu, & ego, sed est indirecta, dignior enim persona cõcipitur. Requiruntur in conceptione quinq; , dictio concipiens, dictio concepta, copulatiua coniũctio uel præpositio cum, uerbum uel adiectiuum pluralis numeri, & quod concordet cum persona concipiente. Nam si aliter inuenianttur, non est figurata locutio.

Conceptio duplex est, directa, & indirecta.

Directa est, quando fit per dissimiles numeros, personas dissimiles, & genera dissimilia.

Indirecta est, quando fit per pares personas, paria genera, & pares numeros, ut.

Vergilius & Horatius canunt.
Aurum & argentum sunt prætiosa.
Viri & fœminæ currunt.

De prolepsi.

PRolepsis est attributio proprietatis, toti diuiso in suas partes, ut puellæ legũt flores, ista uiolas, illa uacinia.

Requiruntur in prolepsi quinq;, totum, partes, distributio partium, proprietas, & ordo.

Est autem duplex, explicita, & implicita.

Explicita est, in qua concurrunt omnia quæ requiruntur ad eam.

Implicita est, quæ non omnino exprimitur, ut:

Vos amatis alter alterum. Salustius.
Cœpere se quisq; magis attollere.

De zeugma.

## De Zeugmate.

ZEugma ē reductio unius uerbi ad diuersas clausulas, ut, ego lego & tu.

Requirūtur in zeugmate tria, scilicet, duo aut plura diuersa substantiua copulata: proprietas, hoc est, uerbum, & quod concordet cum uno illorum substantiuorum. Fit autem per zeugma uariatio personarum in transitiue, ut, ego & tu.

Numerorum, ut, isti legunt & Socrates.

Personarū & numerorū, ut, Hebræi sūt & ego.

Triplex est zeugma, scilicet à superiori, hoc ē quādo proprietas seu uerbū præponitur, ut, Lego & tu.

A medio, quando uerbum in medio ponitur, ut, ego lego & tu.

Ab inferiori, quando uerbum postponitur, ut Ego & tu legis. Hic illius arma, hic currus fuit.

## De Synthesi.

SYnthesis est attributio proprietatis uni uel pluribus copulatis, qđ fit non gratia uocis, sed significati, ut, Populus clamat, Et Pars in frusta secant. Et, Præneste sub ipsa.

Requiruntur in Synthesi duo, unum subiectum, uel plura copulata. Proprietas concordans cū significato & nō cum uoce, ut, Rosa pulcher, & lepus grauida.

Fit quidem synthesis in genere & numero, ut, Turba proterui. Pars ueniemus Scythiam.

De Syn-

## De Synecdoche.

SYnecdoche eſt attributio partis ad aliquid totum, ſub proprietate uerbi uel adiectiui, ut: Nympha nuda genu, & doles pedem.

Requiruntur autem in ſynecdoche tria, ſcilicet, totum proprietas, & pars in accuſatiuo poſita.

Indirecta ſynecdoche fit quando pars non eſt de eſſentia totius, ut apud Vergilium.

Perfuſus ſanie uittas atroq; ueneno.

Eſt alia ſynecdoche locutiōis, quam Cicero intellectionem appellat, ut hoſtis habet muros, pro hoſtes. Ponitur enim pars pro toto.

## De Antiptoſi.

ANtiptoſis eſt caſus pro caſu poſito, ſub aliqua proprietate, ut, Populo ut placerent quas feciſſed fabulas, fabulas pro fabulæ poſuit.

In hac quidem tria requiruntur. Vnum ſubiectum, una proprietas, & quòd caſus pro caſu ponatur.

## De diffinitione cōſtructionis, & ipſius uarietate.

COnſtructio eſt congrua dictionum ordinatio, cōgruam perfectamq; ſententiam demonſtrans.

Conſtructionum, alia eſt congrua ſenſu, uoceq;, ut Vergilius ſcripſit Bucolica.

Alia ſenſu & non uoce, ut populus currunt,

Alia eſt congrua uoce & non ſenſu, ut, Verulæ ſūt longa urbs.

VVynandus de VVorde excudebat.

Anno, 1531. Menſe Febru.

